



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De pura mente & simplici intentione. IV

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

Gal. 6.

1. Cor. 13.

tionem non vis recipere. Iustius esset, ut te accusares, & fratrem tuum excusares. Si portari vis, porta & alium. Vide quàm longè es adhuc à vera charitate & humilitate, quæ nulli nouit irasci vel indignari, nisi tantum sibi. Non est magnum cum bonis & mansuetis conuersari: (hoc enim omnibus naturaliter placet, & unusquisque libenter pacem habet, & secum sentientes magis diligit.) Sed cum duris & peruersis, aut indisciplinatis, aut nobis contrariantibus, pacificè posse viuere, magna gratia est, & laudabile nimis, virileque factum.

3. Sunt qui seipsum in pace tenent, & cum aliis etiam pacem habent. Et sunt, qui nec pacem habent, nec alios in pace dimittunt. Aliis sunt graues, sed sibi semper grauior. Et sunt qui seipsum in pace retinent, & ad pacem alios reducere student. Est tamen tota pax nostra in hac misera vita, potius in humili sufferentia ponenda, quàm in non sentiendo contraria. Qui melius scit pati, maiorem tenebit pacem. Iste est victor sui & dominus mundi, amicus Christi & hæres cæli.

CAPVT IV.

De pura mente, & simplici intentione.

1. **D**Vabus alis homo subleuatur à terrenis: simplicitate scilicet & puritate. Simplicitas debet esse in intentione, puritas in affectione. Simplicitas intendit Deum, puritas apprehendit & gustat. Nulla bona actio te impediet, si liber intus ab omni inordinato affectu fueris. Si nihil aliud, quàm Dei beneplacitum & proximi vtilitatem, intendis & quæris, interna libertate perfrue- ris. Si rectum cor tuum esset, tunc omnis creatura speculum vitæ & liber sanctæ doctrinæ esset. Non est creatura tam parua & vilis, quæ Dei bonitatem non representet.

2. Si tu esses intus bonus & purus, tunc omnia sine impedimèto videres, & bene caperes. Cor purum penetrat cælum & infernum. Qualis vnusquisque intus est, taliter iudicat exterius. Si est gaudium in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. Et si est alicubi tribulatio & angustia, hoc melius nouit mala cõscientia. Sicut ferrum missum in ignem amittit rubiginem, & totum candens efficitur; sic homo integrè se ad Deum conuertens, à torpore exiit, & in nouum hominem transmutatur.

3. Quando homo incipit tepescere, tunc paruum metuit laborem, & externam accipit consolationem. Sed quando perfectè incipit se vincere, & viriliter in via Dei ambulare, tunc minus ea reputat, quæ sibi prius grauià esse sentiebat.

CAPVT

Rom. 1.

Prou. 3.
Psal. 128.